Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1843
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

Nobilissimi et illustris poete plauti in cipiunt comedie et primo amphitrio cuius prologus feliciter incipit

In faciem uersus amphitrionis iuppiter
Cum bellum gereret cum thelobois hostibus
Alcumenam uxorem cepit usurariam
Mercurius formam sosie serui gerit
absentis his alcumena decipitur dolis
Postquam rediere ueri amphitrio et sosia
Vterque deluduntur dolis in mirum modum
Hinc iurgium tumultus uxori et uiro
Donec cum tonitru uoce missa ex ethere
adulterum se iuppiter confessus est.

Aliud argumentum

Amore captus alcumene iuppiter
Mutauit sese in formam eius coniugis
pro patria amphitrio dum certat cum hostibus // alias certat //
Habitu mercurius ei sub seruit sosie.
Is aduenientis seruum ac dominum frustra habet
Turbas uxori ciet amphitrio. atque in uicem
Raptant pro mechis blefaro captus arbiter
Vter sit non quit amphitrio decernere.
Omnem rem noscunt geminos alcumena enititur

Mercurius

Vt uos in uostris uoltis mercimoniis
Emundis uendundis que me letum lucris
Afficere atque adiuuare in rebus omnibus
Et ut res rationes que uestrorum omnium
Bene expedire uoltis peregri que et domi
Bono que et amplo auctare perpetuo lucro.
Quasque incepistis res quasque inceptabitis.
Et uti bonis uos uostros que omnes nunciis
Me afficere uoltis: ea afferam ea ut nunciem
Que maxime in rem uostram conem sient.
Nam uos quidem id iam scitis concessum et datum
Michi esse ab diis aliis nunciis presim et lucro.
Hec ut me uoltis approbare adniti
lucrum ut perenne semper uos superet.
Ita huic facietis fabule silencium.
Ita que equi et iusti hic eritis omnes arbitri.
Nunc cuius iussu uenio et quam obrem uenerim
dicam simul que ipse eloquar nomen meum.
Iouis iussu uenio nomen mercurii est michi.